

quàm reverà habent, solent affectare novum docendi genus, novas phrasas, quæ sunt sæpe novæ doctrinæ antea ambulones: nova sæpe inferunt dogmata. Id videre est in Ario, Nestorio, Apollinare, Novato. Horum enim ambitio nobis novam doctrinam peperit. In *vita*: Dum enim aliis excellentiores haberi volunt, mox alios præ se contemnunt, clam mordent, palàm traducunt, lacerant, imperium affectant, & si qui resistent, movent adversus eos horribiles tragœdias. Verè nos Hyperius: *Nulla pestis exitium affert Ecclesiis majus, quàm si hæc committuntur hominibus arrogantibus, qui se peritiores putant, quàm sunt: aut si docti sint, ad ostentationem tamen, ad questum, & ad corruptelam veritatis, intellectu, ingenio & adjunctis bonis abutuntur.*

2. Nulli sunt audaciores ad res etiam incognitas temerè asserendas, aliisque sub necessitatis lege obtrudendas, quàm ambitiosi, qui legis doctores volunt haberi. Tales erant illi, cum quibus Apostolo erat negocium *h. l. v. 7.* Vide magistros nostros in Papatu, quo fastu & supercilio magistras suas determinationes jactent, de illis rebus, quæ nullo scripturæ divino verbulo, nullà unquam revelatione patefactæ. De Hierarchiis Angelorum ita declamant, ac si in cælo ipso inspexissent. Magna cum confidentia Sanctorum intercessionem in particulari affirmant, itemque purgatorium. Atque hæc definivit sub anathemate Romanus Papa. Id rectè in illis improbamus. Cavendum, ne & nos de iis loquamur & asseramus, quæ non intelligimus.

XIII. De Ignorantia.

1. Ignorantia eorum, quæ affirmantur, ambitiosis est probrosa *h. l. v. 7.*

2. A viris piis non alienum est in occasione notare ambitiosorum ignorantiam. Notat enim Apostolus *h. l. v. 7.* Cavendum autem primò ne falsò, aut temerè impingamus ignorantiam: deinde insultemus aliis hoc nomine, sed tum impingamus, cum res postulat, & facit ad ædificationem Ecclesiæ & veritatis progressum. Si sc. ambitiosi se superbè jactent, & populus Christianus, vel alii de iis magnam opinionem conceperint, quæ possit nocere veritati.

XIV. De Lege.

1. Nota argumentum contra Manichæos, qui criminabantur legem, quòd non esset à bono principio; Non potest à malo principio ortum ducere quia bona *h. l. v. 8.* Manichæi opinionem suam probabant hinc: 1. quòd adversetur legi novæ. 2. quòd fuerit inhumana & tyrannica, ut pateat ex illo præcepto, *oculum pro oculo & c. Exod. 21, 24.* quòd Christus abrogaverit *Matth. 5, 38.* 3. quòd fuerit intolerabilis & observatu impossibilis *Act. 15, 10.* 4. Quòd injusta fuerit, quia concesserit usuras & libellum repudii *Deut. 23, & 24.* 5. Quòd scriptura vocet præcepta non bona *Ezech. 20, 25.* 6. Quòd lex iram operetur *Rom. 4, 15.* 7. Quòd subintraverit ut abundaret delictum *Rom. 5, 20.* 8. Quòd sine lege peccatum mortuum fuerit, & eâ veniente revixerit *Rom. 7, 8.* 9. Quòd prius testamentum culpà non vacaverit *Heb. 8, 7.* Ad primum &c. Non adversatur. At secundum. Becanus *par 1. theol. Schol. tract. 3. c. 14. q. 1. dicit,* non quidem tyrannicam, servilem tamen fuisse, & accommodatum statui Judæorum; inde abrogatum à Christo. Verum falso mixtum, Verum, quòd non fuerit inhumana & tyrannica, sed justa. Falsum, quòd servilis & Judæorum statui accommodata, quasi non conveniat filiorum libertati. Falsum quoque quòd Christus abrogaverit. Christus non abrogavit legem talionis quæ est justa, & ab ipsis gentibus agnita, & inter leges duodecim tabularum relata; sed Pharisaicam corruptelam, quæ permittebatur privatis, ut par pari referrent,

modò non excederent legem talionis, saltem si magistratus non faceret officium. Unde frequentes erant privatae retaliationis injuriarum verarum & fictarum, quas Christus in universum vult sublatas. Ad tertium. Non ideo lex mala, quia salus in ea non querenda, & quia *ζυγὸς ἀσβαντῶ*: id enim non est à legis, sed hominum vitio, qui per suam imperfectionem non possunt implere. Ad quartum. Thomas Aquinas in *re quest. 8. artic. 1. ad 2.* dicit: Deum tanquam minora mala permisisse ad evitandum majus malum. Usura, quam lex judicialis Judæis in gentiles permisit, non fuit injusta eo ipso, quòd Deus justus lege suâ permisit. Non permisisset si injusta fuisset, adeòque habuisset internam turpitudinem legi naturali contrariam. Neque constat, Christum omnem usuram simpliciter damnasse. Libellus repudii non erat ex se malus, aut injustus, testis erat, quòd non obortationem aut delictum mulier esset dimissa: injustum erat divortium sine legitima causa. Illum lex mandabat sub conditione, hoc nec mandabat, nec probabat, sed potius ab eo retrahebat. Ideo enim Moses libellum repudii dare jubebat, non quòd approbaret dimittendi licentiam, quam sibi sumebant feroces & morosi mariti, sed quòd toleraret propter duritiem virorum, ne perpetuis vexationibus & injuriis obnoxia, essent mulieres innocentes, imò ut frenum injiceret levibus & petulantibus maritis, ne tam facilè uxores suas dimitterent. Unde Christus adversus divortium differens non differuit adversus legem, sed adversus quendam ejus abusum ad tempus toleratum, qui non immunis fuerat à reatu in foro conscientia, etsi à pænâ liber esset in foro civili. Auctori enim conjugii, qui & legis auctor est, displicere, clarè demonstrat, dum conjugii primam institutionem abusu opponit *Matth. 19.* Ad quintum. Becanus & alii respondent: Præcepta dici non bona, id est, imperfecta, quòd vetus lex imperfecta fuerit. Atqui Deus hic non loquitur de lege sua per Moysen promulgata. Quam in se perfectam fuisse, patet, quia qui fecerit ea, vivet in eis *Lev. 18, 5. Ezech. 20, 21. Gal. 3, 12.* Et ab Apostoli testimonio constat, bonam fuisse *h. l. v. 8. Rom. 7, 12.* Distinguit enim Deus sua jura apud Prophetam quæ non faciebant, ab his statutis non bonis *v. 16. 21. 24.* Theodoretus de ceremonialibus statutis accipit, quæ comparatione moralis legis non bona i. e. minus bona dicantur. Non satis ad rem. Magnus igitur interpres Calvinus decreta bona interpretatur superstitionem Gentilium, ut Deus dicatur leges non bonas dedisse, quia passus est, mileros illos trahi sub magnam congeriem errorum, sed ita sub tyrannidem Satanæ torqueri. Junius eumque secutus Polanus intelligunt decreta suppliciorum Israëlitis irrogatorum in deserto, quæ non bona id est incommoda erant: per ea non vivebant, quia mortis sententiam continebant; qualia fuerunt hiatus terræ, quo periit Korah cum suis *Num. 16, 35.* ignis, quo interierunt seditiosi Levitæ *Num. 16, 35.* plaga pestilens in seditiosos *Num. 17.* presteres *Num. 21.* sententia de primariis populi suspendendis *Num. 25.* Hanc interpretationem lubens amplector. Ad sextum. Elenchus accidentis committitur. Lex per se vitam operatur servata *Deut. 32, 47. Ezech. 20, 21. Luc. 10, 18.* per accidens iram sc. Dei i. e. pænâ operatur, non quâ data, sed quâ violata nullo suo, sed peccatoris vitio. Confer *Eph. 5, 6.* Eodem sensu dicitur mortifera *Rom. 7, 13.* Ad septimum. Bene Chrysostomus & ex illo Theophylactus, *particula,* inquit, *ut, hic non est causa redditiva, sed eventum respicit.* Sancita enim est lex, ut minueret & auferret peccatum. Evenit autem contrarium per fœcordiam hominum, non per legis naturam. Nempe per accidens offeresa augetur per legem, quatenus per legem patet, & prohibitionem,